



V. 197

1. 1. 197


Goethe

Nachgetragener

Verzeichnis an

Johann Verneer I. v. A.

(1591-1639)



MILITIA SCHO-
LASTICA.

Cum

CIVILI SEV CA-
STRENSI COLLATA ET
IN EXAMINE STENDALIÆ

P. P.

In qua

Cum primis debellandi & expugnan-
di Hostes studijs literarum infensissimos,
commodissima ratio ostenditur,


A

M. IOSEPHO GOEZIO IEGERN-
dorfensi, Gymnasij Berlinen-
sis Rectore.

Accesserunt


Carmina in Abitum ejusdem, Et Obitum
suavissimæ Uxoris ab Amicis
scripta.

Berlini, Typis Rungianis, Aõ. 1609.



Philippus in Epist. ad Camera-
rium, pag. 482.

PROfectò, aliquantò majus decus esse judico,
πιστὸν ἄριστον εἶπεν, quàm Trojam capere.



AMPLISSIMIS ET CLA-

RISSIMIS VIRIS,

Prudentiâ consiliorum, fide gubernationis, doctri-
nâ & usu rerum præstantissimis,

Dominis Consulibus & Senatoribus inclitæ Reipub.

STENDALIENSIS, Dominis & Patronis

ac Compatribus suis colendis,

S. in CHRISTO,

E*T* si ad vos, Viri Amplissimi & Prudentissimi, ni-
hil nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ,
solertiâ insigne, adferri oportere judico: Non ta-
men veteris benevolentia à vobis mihi meisq; præstita,
quæ multiplex est, immemor, quaecunq; de Scholasticis
illis lucubratiunculis meis monumentum, si evulgetur, et
necessitudini nostræ honorificum & fortè liberis vestris
non injucundum & prudentiæ vestræ gratū acceptumq;
fore, planè confido. Quoties enim *συμπροσβλήτων* istius loci
aliquem video, toties & Ecclesiæ vestræ, quæ à viris pi-
etate, doctrinâ, & sinceritate spectatissimis regitur, &
Reipub. optimis legibus, ordine & disciplinâ florentissi-
mæ, & Scholæ magnâ curâ & *ἐπισκοπή* operarum di-
ligentissimâ celebris, cum voluptate recordor. Omnium
autem sua visissimum illud acroama ab Amicorum collo-
quijs, amore, candore, fide & beneficiâ imis infixum
cordis penetralibus, me plurimum movet. Quæ contrâ
fatalis hîc sit blandiloquentia absq; fide, dilectio absq;
A 2 candore,

candore, munificentia sine corde, de Aulâ in qua virtutum nomine hæc commendantur vitia, non injuriâ querimur. Ne igitur hospitiy apud vos mei tessara, quâ velut olim ceu vinculo perpetuo in vicem obstringebantur sibi etiam propter posteros Romani, nulla sit; hanc militiae Scholasticæ cum castrensi collationem in Examine aliquando Scholæ vestræ publicè habitam, publici juris facio, & amicorum quorundam idem à me efflagitantium necessitudini et voto, volens lubensq; morè gero. Quas liscunq; verò ea sit inter pulverulentos labores nata & prolata oratio, eam, ut apud vos mei πολυεύμαλος & muneris, si non ad obrussam omnium reformantium, quam præscribunt ἄμφοι; tamen ad normam & formam verbi divini quod & illâ & regulâ Lesbiâ mihi potior, exacti, pro testimonio, meæq; in vos perpetuò cōstatuæ observantiæ symbolo habere, quaeso, ne dedignomini. Quod dum me impetrasse sensero, ad majora vobis vestrisq; liberis in posterum etiam me devincietis. Valete in Iesu Christo, qui vos diutissimè florentissimos servet omnibusq; actionib; vestris propitio & clementi Numine adspiret. Berolini prid. Cal. Februarij Aō. 1609.

A. & P. V.

observantissimus

M. Iosephus Gæzius, ibidem Rector.

MILI-

MILITIA SCHOLASTICA.

Quod veteri lege Attica sancitum est, *ἀνευ προμίμων κὶ παθῶν*, in eos, qui Græcorum πολυλογίας assveti, speciosâ plus quam satis & intemperante Orationis serie & colore causas suorum clientum convestire & ornare studebât: Idem hodie in rebus arduis & gravissimis, hoc perturbato omnium ordine atque statu, hac dissoluta morum licentia, hac ingravescente juventutis nequitia facere non convenit. Nam ut illotis manibus sacra Palladis olim confici religio Ethnicis fuit: Ita hæc Scholæ sacra absque aliqua præfatiunculâ obire, *συζητήσιον* juventutis instituere, profectû explorare, quis tam imprudens qui nefas esse nesciat, tam impudens qui neget? Esset profectò multâ magnaque mercede dignum, ut Theognis ait, Si, quemadmodû Circe herbis & cantibus suis, homines convertebat in feras; ita nunc ex feris homines facere, id est, homines ferarum similes ad virtutem à vitio, ad rationem à furore, ad humanitatem à feritate revocare monendo & perorando possemus. Quantum instigari & incitari Adolescentes oporteat, ut majore animorum alacritate cœptis insistant, cursum studiorum acrius urgeant & persequantur, iustantur qui Sisyphæos hosce labores experiuntur. Utque Ducum est hortari milites, antequam ad pugnam producantur, ut animis armisque parati hostem adoriantur, strenuè pugnent & hostiles insultus fortiter reprimant, si victoriam cum triumpho laude reportare unanimes

A 3 optent:

optent: Ita Ductori & Doctore juvenutis cuilibet bono incumbit, ut τὰ χάλινα τῆς γλώττης; habenas linguæ apud eos solvat, quorum natura vel verbis vel verberibus regi, concitari & cõerceri debet. Si pugnare & vincere velint, id est, strenuè discere & discendo Animi hostes propulsare, maximè Suadæ illiõ medulla (Πειθῶ Græci vocant) præoptanda esset, quam in Periclæis labris scripsit Eupolis olim sessitasse. Patet ergò, si secus faxim & cum silentio milites hoste ad pugnam producam, stultum fore, ne dicam extremæ dementiæ. Quia verò in Græcis & Latinis scriptoribus Scholastica militia civili comparari, officiorum nomina, examinum ratio, pugnarum acies, præmiorũ diribitio, victoriæ usus ab hac verè deduci solet: Precium operæ me facturum confido, si quid laudis, si quid ordinis externa militia præ se ferat, id omne ad Scholæ castra transferam, ut quantum hæc illâ præstet, non soium studiosa juvenus videat, sed quæ cura, qui labor, quæ vigiliæ, ad animi & corporis hostes debellandos requirantur, cognoscat, nec aures præceptis saluberrimis obsurdescere animumq; occallere ignaviâ sinat. Quam laxè enim & frigide literarum studia tractari & susque deq; omnia ferri patet; Si monita non densentur, quæ animis veterinũ excutiant & quod deceat quòdve non deceat, iterũ atque iterum inculcent:

Acer & ad palmam per se cursurus honores

Si tamen horteris fortior ibit equus.

Ovidius quod de equis, idem de discipulis jure usurpamus. Quod si doctrinas utiles, paræmias jucundas perpendo, non minus hanc collationem civilis

vilis

vilis & togatæ militiæ, quàm aliam quamcunque hi-
 storiam narrationē, ijs abundè scaterere video. Ut er-
 gò secundis subvehatur velis oratio, & portum quem
 sibi proposuit facilius consequatur, adeste animis nō
 fictis dictis, sed candidis & benevolis, quibus mea te-
 nuitas sublevetur potius, quàm *εὐσεβέων παισὶ γὰ λώϊα*
 dicere terreatur. Hoc à vobis summopere peto, non
 quia consuetudo sit ita rogandi, sed necessitas jube-
 at, ut mihi Scholastico magis quàm oratorio more,
 dicenti, per exiguo tempore aures vestras animosq;
 non denegetis. Phormioni Sophistæ quod accidit
 apud Annibalem de rebus bellicis longâ accuratâq;
 oratione differenti, cum ab hoc istarum gnaro igna-
 rus irrideretur & delirus Senex proclamaretur, idem
 mihi non eventurum spero, qui castra licet nunquã
 viderim, rerum tamen militarium in trivio plenæ
 omnes loquelæ.

Martem olim belli Deum, Palladem pruden-
 tiæ & Doctrinæ Deam ab Ethnicis cultâ passim mo-
 numenta veterum produnt, ut de Marte Martialis:

Belliger invictis quod Mars tibi sævit in armis.

Ovidius de Pallade canit:

Pallida nunc pueri teneræq; ornate puellæ

Qui benè placarit Pallada doctus erit.

Sed nos doctrina verbi divini imbuti nec Mar-
 tem aut Palladem, sed in *Μονάδι* trinum & *Τριάδι* unum
 agnoscimus Autorem & inventorem Opt. Max. De-
 um, cui fama, ut Plato Ethnicus inquit, grata in artib.
 sparsa est: Et qui militia illa civili gentes domare,
 nequitiam & libidinem beluinam debellare, leges
 honestas condere & conjunctim pietatis exercitia,
 vigere

Lib: Spea

Etac: Epi

gram: 6.

Fast: l. 3.

Luc: 3. v.

14.

Deut: 11.

2. Reg: 1.

5. 2.

vigere voluit. Quamquam sint, qui mitissimum DEUM bellicorum tumultum Autorem negent: Bello- rum tamen quæ pro aris & foris contra insultus ho- stium divini nominis suscipiuntur, quis Deum justis- simum scelerum vindicem excitare hominum men- tes, ut quod justum est statuunt, injustum puniant, inficiabitur? Atque in Evangelio, non quidem spe- ciali mandato, eandem tamen probari scimus; Aliàs enim Iohânes prodromus Christi quomodo ad pœni- tentiam milites vocare suoque stipendio contentos esse voluisset? Ut ergò hanc probat: Ita alteram se- verissimè exercere militiam mandat. Ad perpetu- am enim posteritatis memoriam in literas sua dicta referri & domi forisque eadem inculcari jubet. Gra- vissima vox illa est, Deutr: 6. Erunt verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo & narrabis ea filijs tuis. Ex eodem fonte illud Pauli ad Ephes: 6. manavit: Patres educate liberos vestros in doctri- na & monitis Domini. Patriarchas & Prophetas vi- dere licet, qui Sancti Spiritus instinctu templa, quæ montes, 1. Sam: 16. & Scholas, quæ colles Domini, nominarunt, erexerunt & fidei doctrina ornarunt. Non igitur Ciceronis exemplo Gymnasij ornamen- tum *γυμνασιῶδες*, ut scribit ad Atticum, *αἰθρῆ* seu Mi- nerva sit nobis, sed *αἰθρῆ* ille & militiæ Scholasticæ Autor ac conservator unicus DEUS.

Qua ratione verò institui militiæ civilis solebant Tyrones & Neoptolemi passim ex Scriptoris Livio, Gellio alijsque patet. Sub custode quisque prius dis- ciplinam militarem ediscebat & Magistri imperio arma tractabat, nec inertiae sed agilitati operam da- bat:

bat: Iaculis & fundis velitandum prius cursitandū-
que fuit, quàm galea, lorica induenda, gladijque ac-
cingendi. Quibus veluti jactis fundamentis grada-
tim majora attentare & præmijs propositis ad hono-
res adspirare Romani contendebant. Ex Tyronibus
fatis multumque exercitatis eligebantur Pentarchi,
qui vel quinque primùm regere & intra militarium
legum repagula tenere studebant: Ex ijs iterum De-
curiones qui decem, Centuriones qui centum, Chi-
liarchæ qui mille, & ita subsequenter præesse alijs ali-
js propter ingenitam virtutem, robur, audaciam &
artem à Magistris haustam cogebantur, donec ad sum-
mos Duces perventum, qui toti exercitui gravitate
& autoritate magna præditi præponebantur. Quos
verò natura, ignavos, & molles fecerat, fustuarium,
Livio teste, merebantur, id est, tolerare labores, si
spòte nollent fustibus edomiti adigebantur. Vel quos
nimis audaces & inobedientes nequitia pertinax &
pertinacia nequam reddiderat, ut Corycæi notabāt,
prorsus exauctorati & stipendijs expuncti ejicieban-
tur. Ita plurimi ex dolore contumeliæ ad virtutē ac-
cēsi id quod officij sui erat, strenuè faciebāt. Et certè
maximam Romani laudem merentur, qui nullā aliā
re, nisi hoc armorum exercitio, disciplinā castrorū,
usuque militiæ penè orbem terrarum subegerunt.
Quæcunque enim in acie atque in præliis evenire
posse putabant, id in Campestri meditatione præ-
noscebant & severè in desides animadvertēbant, sci-
entiā rei audaciam nutriri non ignorabant. Nam
quis id facere metueret, quod se benè didicisse con-
sideret? Semper in ocio debet fieri, quod necessario
B facien-

Vegetius
l. 2. cap. 22.

Plato ἡμῶν
μαλα vocat.

faciendum videtur in prælio. Ita Tyrones nostræ militiæ quam primum fari norunt, literarum elementa sub Pædagogis discere, literas colligere & aliquot tempus lectione & flexione absolvere coguntur. Progressu felicius factò simul officiorum nominib9 ab illa castrensi militia desumptis Pentarchi, Decarchi constituuntur, qui virtute & eruditione cæteros antecellere ac diligentia sua inferiorum animis stimulos ad æmulandum admovere debent. Nō ab similibus Romanorum civium in Classes sex & Classium in tribus distinctio, quæ à Livio, Gellio alijsque notatur. Ad centum millia æris, hoc est, ad mille coronatos ampliùsve censi inter primarios numerabantur: Atque hi solùm classici (quod nomen & primæ notæ scriptores Cicero, Cæsar, Virgilius, Terentius obtinent) dicebantur: Ad septuaginta, secundæ: Ad quinquaginta tertiæ classi: Ad viginti quinque millia, quartæ adscribebantur: Ultima proletariorum & capite censorum fuit. Eadem ad huc universi cœtus Scholastici distributio pro captu ingeniorum observatur, ut qui mediocrem Grammaticæ Latinæ & Græcæ cognitionem habent, ad Dialecticæ & Rhetoricæ præcepta audienda, primæ: Qui Grammaticam Latinam cum Græca conjungunt, secundæ: Qui Grammaticam latinam tenent, tertiæ: qui prima elementa hujus cum flexione vocabulorum sciunt, quartæ: & alij alijs assignentur classibus. Si disciplinam intueor convenit & illa, quæ in officio remissos urget, ut faciant quod necessum, & fugiant quod non decet: Si ferulis incitentur fegnes, vapulent ociantes, corrigantur malitiosi. Custodes

fi

si garrientes deferant, absentes notent, nugantes pœ-
nis dignis terreant. Corycæi scurriles sermone, mi-
mos factis observent, gurgustia potantium bacchan-
tiumque Magistris indicent. Qui tandem pœna cor-
poris, multâ vel carcere intra officij metas retinen-
tur & ad tuendam stationem alacriores redduntur,
ut nihil contra leges, nihil contra bonos mores &
honestatem delinquatur. Nequeo hîc præterire or-
dinem laude dignissimum à Trocendorfio Scholar-
charum Antesignano, cuius memoria honoris causa
recolenda, in Scholas introductum, qui præter Atti-
cam illam & Romanam Classium distinctionem, tot
ἐπιμελήτας, Inspectores habuit, ut nihil domi forisq;
nihil in ludo, ullo vel loco vel tempore geri posset,
quin id omne rescisceret. Contubernia & disciplinâ
domesticam, Auditoria & alia observabant Oecono-
mi: Morum censores erant Ephori: In publicis con-
ventibus Quæstores ut tribuni contribules suos no-
tabant: Atque hi omnes Oecono mo ut Præceptoris
Vicario suberant & parebant. Hic tandem mense e-
lapso solenniter officio sese publicè oratiunculâ ab-
dicabat. Taceo judicia ab eodem publica instituta in
quibus Consul cum Senatoribus suis delinquentium
causas dignoscebat, pro gravitate delicti sententias
ferebat: Taceo actiones & Orationes quibus rei se
defendebant: penè plus dixerim illi curæ fuisse re-
gere mores unius cuiusq; quàm excolere pectus do-
ctrinâ. Mallebat sanè cum severitate diligere quàm
cum lenitate decipere. Cujus disciplinæ, dum for-
mam hîc instituere contendo, & Locus, in quo plus
curæ Gulæ quàm Minervæ impenditur; & Natio quæ



rigidior ab aurâ udæ & tractabili argillæ morum cultu non est similis. Et seculum quod à contumacia feroci & ferocia contumacissimū jam ultimum attigit terminum: Et adjumenta omnia obstant.

Cæterum ad arma quod attinet quibus milites illi utuntur, ut hostium insultus infringere & amoliri valeant: Caput galeâ, corpus loricâ, thoracibus, scutis, clypeis muniunt, manibus hastas, gladios, aliasque machinas & vitæ subsidia tenent, ut quicquid adversi est sternant & victoriam læto cum triumpho reportent. At nostros aliâ armorum supellectile instructos refert, libris doctissimorum hominum Aristotelis, Isocratis, alijsq; Classicorum scriptis, Ciceronis, Virgilij, Ter. è quibus artium fundamenta & linguarum puritatem hauriant: Calamis, atramēto, papyro, quibus ad ingenij culturam necessaria comparent & comportent, & hostes innatos finibus suis exterminent.

Sili^o li. 11.

Ad expeditionem venio, illis si excurrendum tessera primum, qua discerni ab hostibus possint, datur, nostris quoque Pietas ex fontibus Israëlis inculcatur. Illis hostes externi qui domos lamentationibus, urbes incendijs, interneccione cives, vastitate regiones, ruinâ universas Respub. perdere satagunt, ut pote Mahometica colluvies à finibus patrijs propulsanda, imperia dilatanda & pax optima rerum, quas homini novisse datum est, pax una triumphis innumeris potior, reducenda. His verò multò diversi hostes & truculenti satis, qui hominem non hominem esse sinunt, sed suâ naturâ exuunt & mirâ metamorphosi in beluam convertunt, ex animo sunt fugandi.

gandi. Quorum Duces quatuor Geryones verè tri-
corpores & Gigantes Cyclopici nuncupari possunt,
qui multa secum agmina Animo & Corpori multa
incommoda inferentia trahunt.

Atqui primus qui Rationem adoritur est, **Ignorantia nobiscum nata.** *I. Hostis.*
Quæ quantis arietibus e-
am labefactet, quãtas tenebras menti à primo homi-
num lapsu offundat, vix cogitari nedum dici potest; *Ignoran-*
Sensus omnes obtundit & hebetat, ingenium vulne-
rat, memoriæ recessus obturat, crura & cervicem
Platone suffragante constringit, ac vel asininã stupa-
ditatem vel caninam audaciam infert, ut parum à
feris, nisi Oratione, discerni possit homo. Non abs re
exclamat Poëta Lucretius lib. 11. *tia nobis*
cum nata.

O miseræ hominum mentes! ô pectora cæca!

Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis

Degitur hoc ævi quodcumque est!

Ut ergò hostem hunc elimines opus est ἐξ ἀπάλων
όνύχων, ut Græci dicunt, accuratâ diligentia & in offe-
so studio. Artium & linguarum notitia, in officinis
literarijs è libris saniorum Philosophorum sedulò
haurienda, ut si non recto rigore & linea, tamen fle-
xu tendas ad illam Sapientiæ metam, cuius adyta
absque hoc aditu non lustrabis, sed hallucinari co-
gèris ubivis & cœcuties non aliter quàm oculi Ves-
pertilionum meridianâ luce caligant. Philosophiæ
igitur studio scintillantes in mente primi illius pu-
rique ignis reliquias ἀναζωπυρεῖν, augere & confirma-
re decet.

Alter hostis Scholasticâ milititiâ expugnando est **II.**

B 3

Metus *Metus.*

Metus laborum & ærumnarum. Qui dum difficultatem nescio quam animis hominum iniicit, ut quæ maximè utilia & graviuscula videntur, deserant nec affectent, sæpius eos superat & pessundat. Naturâ enim ita omnes comparati sunt, ut instar indomitæ equorum labores tolerare recusent, pauperie vel pœnæ metu adacti cum impetu subeant. Quid? Pauperies & ærumnæ tantas molestias Studiosis hoc scelerato seculo faceffunt, ut nisi singulari fato in artibus progredi moveantur, facilè ab ijs retundi possint. Quoniam ijs non dicam mediocriter literis tincti, sed planè imbuti premuntur, salario ad vestes vix farciendas nedum emendas sufficiente contenti. Major proinde pars ab artium mercatura ad emporia mercium deficit, aut nihil agendo malè agere, parta parentum ociando consumere & reliquam feriantium multitudinem quæ fruges consumere nata, adaugere discit. Verum enim verò contra audentius eundem, & metui alacritas, difficultati contentio & labor, ærumnis patientia, velut Ægis, obijcienda. Nam aurum, argentum, & preciosa quævis profundissimo terræ sinu tecta tenentur: Nec nisi magno cum sudore & labore eruuntur: Ita eruditionem non influere, famam aut opes affluere cense: Sed verpibus & dumetis septam undique & vestitam erui & parari. Θεοί γὰρ τὰ γὰθὰ πόνοις πωλοῦνται vetus & vera gnome est. Et pulchrè admodū aureum vellus id est, Sapientiam & Eruditionem à Dracone, id est, varijs naturæ vitijs obsessam notarunt veteres, qui sæpius juventuti occinuerūt: Δύσκολα τὰ καλά: Quæ pulcra eadem difficilia.

Tertius

Tertius hostis est **Voluptas carnalis** ferociâ
& exercitus magnitudine ante omnes miris strata- III.
Voluptas.
gematis & mille menandris sensus omnes perfode-
re tanquam cuniculis tentat. Aspectu quidem for-
mosula, verbis blandula, rebus omnibus mollicella
& ignaviæ nutricula, sed quot ipsa secum trahat my-
riadas vitiorum, miseriarum & periculorum, in ijs
qui lasciviæ suæ, socordiæ & naturæ petulcæ tantum
indulgent, ut ab hac superentur, videre licet. Est
enim ipsa *ἰὼν μελανούρων*, quod genus Pythagoras &
Plutarchus gustare adolescentibus vetuit: Habet ni-
gram & venenosam caudam, & blandum principi-
um tetro fine concludit. Non aliter Poëtæ Syrenas
fingunt & pingunt, quæ Virguncularum formosam
ostentent supernè faciem, sed in fœdum ac turpem
piscem desinant. Sic allicit ipsa multos multis blan-
ditijs, suavitate ludorum, vanitate spectaculorum,
nugis chorearum, nidore popinarum, ut Bacchæa
magis quàm Lycæa ament, ubi omnes lances impu-
rè detergere & omnes trullas (Plautino utar) exhau-
rire satius quàm salutaris doctrinæ nectar imbibere,
esse putant; Donec omnes in casses suos pertrahat &
elumbos atque enervos redditos pane postea dolo-
ris cibet, miseras propinet acidas & mortem igno-
miniosam inducat. Quid aliud est, quod corpus affli-
gat, vires enervet, sensus ingeniumque labefactet,
mentem oppugnet, rem familiarem dissipet, igno-
miniam inurat? Voluptas. Quid exempla horridio-
ra mortis in sacris & profanis literis expressa pro-
duxit? Voluptas. Quid bellum Trojanum, quid re-
gnorum urbiumque excidia excitavit? Voluptas.
Quid

Quid Medeam Iasonis amatricem ut fratrem Absyrtum frustatim discerperet, impulit? Corporis Voluptas. Quid amatores Medusæ in beluas & saxa: Lycæonem in lupum: Tereum in upupam: Hippomanem in leonem: Hecubam in canem & alios in alias bestias, ut Ovidius refert, convertit? Insidiosa Voluptas. Sic nimirum nulla capitalior pestis quam corporis Voluptas hominibus à natura data est, ut non sit tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum à circumfuis undique Voluptatibus. Quibus ergò quæres armis hic sævissimus hostis expellitur? Quibus domatur & frenatur? Temperantiâ primum, quæ quid nocet, docet, & motus animi ac corporis moderatur & regit, ut facias quæ DEO placeant, nec labores tuos ingluvie impediās. Qui voluptates, inquit Livius, temperantiâ frenavit ac domuit, multò majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quàm nos hoste victo habemus. Deinde fuga pravi sodalitij, cuius effecta Paulus Apostolus Menandri versu exprimit: *Φείρουσιν ἢ θη ζῆθος ὀμιλίαι κακῆς*, Voluptatem effringere potest, ne mentem sed suâ deturbet & mores bonos, crapulâ, lasciviâ, Venere corrumpat. Etenim ut vitia contagione corporibus affluunt: Sic animus sui aliquid semper alteri participat, quæq; concepit, ipse effundit in proximos, & tam exemplo quàm peccato nocet. Fugâ igitur consulendum virtuti, priusquam inemendabilis pravitas helleboro & tribus Anticyris vix purganda, in bonos proserpat & indurescat. Deniq; precatio subsidium confert maximum, quâ si frequenter & ardenter ad DEUM utaris ut præstes quæ ipsi grata,

grata, hominibus utilia & tibi salutaria sunt, ut mentem castitate, vultum cultumque pudore & decore ornet; dabit clementer quodcumque petis.

Postremus hostis contra quem bellum Scholasticis suscipiendum, est **Arrogantia & stulta cuiusdam eruditionis Imaginatio**. Multi enim, *Arrogantia.*
præceptorum fideli institutione & operâ Sisyphæo labori non absimili, eò deducti ut latinas voculas connectere, normæ Syntacticæ applicare, duo aut tria vocabula Græca aut Ebraica norint, usque adeò intumescunt & vanæ scientiæ aurâ inflantur, ut præ alijs in eadem palæstrâ sudantibus sapere, vetera *Φεγ-
Τισήεια*, in quibus educti & edocti fuerunt contemnere, lectiones consuetas & reiteratas vili pendere, majora spirare & Scholas has vel illas appetere occipiant. Ut puellæ propter formam aut crines elegantiores insolescunt, curæ domesticæ aliàs ignaræ: Ita isti forma scientiæ aliquot latinorum aut græcorum vocabulorum superbiunt, doctrinæ fanum nondum ingressi. Hac peste infecti rarò solidæ eruditionis partem assequuntur, sed invisam primò desidiam, postremò tenaciter amant & rudes asini manent. Bion rectè arrogantiam profectus obstaculum dixit: Indocilis, inquit, est qui mavult doctior videri quàm est. Et Plato exhauriendam esse ex animis juvenum falsam opinionem & superbiam monuit, sicut aërem ex utribus utile quippiam infufuri exhauriunt: Secus enim inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt. Ita Vives, multi potuissent ad Sapientiam pervenire nî jam putassent se pervenisse, inquit rectissime.

C

ctissime.

tiffimè. Verum velis remisq, properandum ut hic
 hostis studiorum infensissimus vinci & retundi pos-
 sit. Potest autem lectione primùm assidua, si lingua-
 rum adminiculo, Philosophorum, Oratorum & Hi-
 stororum scripta pervolitent, notatu digna excer-
 pant, imitentur & in succum sanguinemque suum
 convertant. Ita demùm dulcorem & amorem lite-
 rarum imbibent & semet ipsos noscent, quàm longè
 à solida eruditione distent, quantumque adhuc iti-
 neris & molestiarum ad Parnassi culmen restet, per-
 sentiscent. Deinde meditari multa & memoriæ in-
 figere multum refert. Non enim æquè fragile est in
 homine, ut Plinius non injuriâ queritur, ac memo-
 ria, morbis & alijs casibus facilè intercidens: Subsidijs
 hisce fulcienda est, ut nimirum quæ legerunt ru-
 minent & repetant quæ notarunt. Exercitijs deniq;
 frequentibus opus est, si animo illa demùm arrogan-
 tia expelli debet, de qua Thucydides simul eleganter
 & breviter dixit: ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.
 Quid enim proderit artem didicisse, si non exercea-
 tur & ad usum transferatur? Quid Grammatices om-
 nes regulas tenere, nec purè loqui posse? Quid Mu-
 sicæ canones nosse & cantare nescire? Quid Varro-
 nis & Catonis libros de agricultura trivisse & arare
 ignorare? Nempe ut ferrum ita omnis disciplina,
 Motu clarescit & usu. Usus enim basani vicem obti-
 net, quo omnia ingenia, omnis eruditio probari &
 examinari potest. Per varios usus artem experien-
 tia fecit. Exemplo monstrante viam, Manilius scitè
 ait. Et veteri versu dictum: Solus & artifices, qui fa-
 cit, usus erit.

Ignorantia
audaciam,
sciētia pa-
rit ignavi-
am.

Tantum

Tantum de hostibus studiorum, quos exarmes, frangas & sternas hac ratione oportet, si digna laborum præmia reportare cum honore velis. Exantlatis verò pugnæ laboribus Diribitorio milites nostros sistamus & præmia, stipendia, honores pro cuiusque alacritate & virtute distribuamus. Fuit, fuit Græcorum & Romanorum omnium calculis olim probata Respub. in qua fortibus viris & meticulosis congrua reddebantur, Virtuti præmia: Ignaviæ pœnæ: Quod Demosthenes cum Lyfandro Laconum Duci hoc asserenti confirmat, quo jubet ἀξίους ἐπαίνου τιμᾶν, ἀδικῶν δὲ κολάζειν. Et rectè. Quî enim disciplina inter homines melius conservari potest, nisi pœnis deterreantur à vitijs & vicissim præmiis ad virtutis studia incendantur? Quemadmodum igitur olim à Duce belli singulis militibus Virtutis ergò dona militaria dabantur, aurei torques, armillæ, vexilla, hastæ puræ, phaleræ, pecunia donativum dicta: Etiam coronarum varia genera: Obsidionalis è gramine in eo loco qui obsidebatur evulso, Plinio referente, cōtexta: Civica è fronde querna, civi à cive in prælio servato, data: Muralis, ab Imperatore illi donata, qui primus murum subiisset. Castrensis illi data, qui primus hostium castra introisset: Navalis illi, qui primus in hostium navem transiliisset: Atque hæc ex auro. Ovalis, qua Imperatores coronabuntur ovantes, myrtea fuit: Triumphalis, qua triumphantes Imp. utebantur ab initio fuit ex lauro & tandem ex auro, crescente luxu, insertis gemmis & unguibus preciosissimis. Huc accesserunt honorum gradus ut alij eligerentur Centuriones, Signiferi, Tribu-

Dignos
laude ho-
norare, im-
probos ve-
rò punire.

ni, ordinum ductores, præfecti castrorū, legati, Magistri equitum, Duces. Quod Turca sanè cum clade nostra hodiè adhuc observare assolet, ut evehat quoscunq̄ue militari virtute spectatos, spurios licet & infimo loco natos. Non hîc prævalet nobili prosapia oriundus, sed artus artesq̄ue libret is necessum, q̄ honorum gradu aliquo ornari cupit. Multos hac ratione allicit, ut virtutem ardentius sequantur, & rerum militarium peritissimi evadant. Ita & nostros togatos milites ad λογισηεια primūm ducere refert, ingenia & doctrinam explorare, quid quisq̄ profecerit, qua virtute & industria animum excoluerit, quomodo hostes, naturæ hominum infensos, infringere ulterius velit. Donativa seu Congiaria quoque ut libri, papyrus, pecunia, stipendia, aliaque brabèa diligentioribus conferuntur, ut hoc velut testimonio virtutis & industriæ ornati strenuiores se post hac gerant & ignavis ad æmulandum calcar addant. Nam nisi certanti nulla corona datur. In honoribus distribuendis id ipsum militia nostra imitatur: Quid enim aliud est in hisce Scholis trivialibus Classium transpositio & locorum mutatio, ut alij primani, secundani &c. appellètur. In Academijs, quid aliud sunt Baccalaurei, Poëtæ, Magistri, Licentiati qui Lytæ, doctores qui Prolytæ Iustiniani tempore nominabatur? Et in ijs, quid insignia ad honores destinata, ut laurea corona, pileus purpureus, annulus aureus, osculum, clangor tubarum, amicorum pompa & convivia? Ut igitur olim statuerunt, ita verè dixerunt veteres: Honos alit artes. Quo fit ut multi impendio magis literarum studia sectentur & ad honores ingenita virtute

virtute excitentur. Dignum sanè fuerit, ignavorum quoque militum pœnas cum hisce nostris conferre. Diodorus Siculus lib. 12. antiquitatum refert. Milites qui in præliis signa ordinesq; destituisent, qui ve prorsus arma capere pro patria recusassent, mortis supplicio fuisse sublato. Charondas verò legislator Atheniensis statuit huiusmodi viros vestib9 muliebribus indutos, medio in foro & singulis diebus ter eodem suggesto eodemq; ornatu ante omnium ora sisti debere. Quà lege hominum animos à molitie & fœminea timiditate sensim in audaciam revocavit & hoc effecit, ut mortem oppetere plurimi optarent, quàm tantam ignominia calamitatem in media patria experiri. Quibus etiam pœnis affecerint Lacones suos, quibus probris & ignominijs vel parentes filios profugos exceperint, passim in historijs videre est. In hac nostra togatâ militiâ pœnarû genera similiter à Maioribus prudenter introducta sunt. Ignavia enim & petulantia juventutis maximè ferulis, quibus Salomon è corde puerorum nequitiam expelli præcipit, multâ, carcere, coërcenda. Atque hunc castigationis morem & Patriarchis & Ethnicis notum ac vetustissimum esse passim legitur. Nec solum virgis imbelles pueri & ignobiles, sed grandes quoque & nobiles & Principes cædebantur, ut Iuvenalis Satyra 7. de Achille testatur:

*Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus.*

De eodem quoque Ovidius canit:

C 3

Quas

*Quas Hector sensurus erat, poscente Magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.*

In honorem pœnæ ferularum Martialis itidem
hos Versus reliquit.

*Invisa nimium pueris, gratæq; Magistris
Clara Promothéo munere ligna sumus.*

Quàm verò necessaria in hoc etiam militari cœ-
tu ea sit castigatio, non dies ad enarrandum suffice-
ret, præsertim hoc effreni seculo, quo antiqua & pris-
ca illa diligentia evanuit, quo amor ille & fervor er-
ga literas deferbuit, quo præclara illa veterum disci-
plina planè collapsa est. Heu quantas aliquando te-
nebras hæc studiorum & disciplinæ non curantia, ut
Cicero loquitur, offundet imperijs! Quam barbari-
em, confusionem & interitum Rerumpub. adducet!
Omnium veterum præclara monumenta, omnes
honestæ artes & disciplinæ jacebunt & conticescent.

Sed refero gradum & in his militiam civilem
cum hac nostrâ comparasse non inutile nec injucū-
dum judico. Illam enim ut veterum prudentia ex-
cogitavit, ita dispositam, armis instructam, discipli-
nâ constrictam esse oportet, si patrijs finibus propul-
sari hostes, si vita redimi, si pax reduci debet. Hanc
pari diligentia institutam, virium alacritate & mo-
rum & armorum culturâ ornatam esse refert, ut ho-
stes animi, ignorantia, barbaries, impietas, arrogan-
tia ejici possint. Namque ut multò atrociores animi
hostes sunt illis, qui corporum: Ita literarum scien-
tia militari peritiæ anteponenda & expetenda vide-
tur.

Adeste

Adeste igitur animis Adolescentes, in hac litera-
riâ militiâ tam strenuos vos præbete, ut ferinam na-
turam exuere & hominis naturam tueri possitis. Pla-
tonis enim illud ut scitum, ita verissimum: Homi-
nem animal, inguit, mansuetum esse & si disciplinam
assecutus fuerit, ferocissimum omnium animal red-
di. Nolite voluptatem corporis beluarum instar,
quas natura ad partum abjecit, sectari: Nec ut impro-
vidi cicutam & aconitum ob bellè depictâ pyxidem,
salutares medicinas opinamini, sed voluptatum in-
sidias, quæ aconita pœnarum & cicutam miseriarû
præmij loco propinare solent, sedulo vitate. Adhæc
somnia illa seu *δοξοσοφίαν* ob notitiam aliquot vo-
cabulorum diligentiam Præceptorum inculcatam a-
nimis excutite & Amphiarai exemplo, quem Æ-
schylus hoc insigni elogio, præ alijs ducibus ad The-
bas, quibus singulis scutum cum insignib. tribuit, or-
nat: *εἰ γὰρ δοκεῖν ἀριστος ἀλλ' εἶναι θέλει*: Non enim videri
bonus sed esse vult. Idem & vobis propositum ha-
bete, ut docti esse quàm videri malitis. Et sicut ridi-
cula illorum jactantia est, qui potu madidi suas pu-
gnas prædicant & fulminant, strenuiori assidente,
mox de illius ore fiunt sordidæ: Ita planè futilis &
ridenda illa eruditionis inter profectiores etiâ ima-
ginatio, alijs ubique repertis qui Socraticum, illud
cum pudore tui occinere possint: Scire tuum nihil
est. Quoniâ vero tempus & occasio postulant, illud
floridum & vegetum, hæc studijs commoda & felix,
utriq; servire discite, ætate & diligentiâ: Eam laborib.
consecrate; hanc liberis ingenuis spontaneam esse,
convenit, ut inter servos, qui inviti heris operâ præ-
stant,

stant, & liberos qui sponte, discrimen appareat. *ἄρα αἰὲν ἐσθλὰς θέροσσι*, non semper erit messis verè cogitate. Ne vel Lycurgi Nomothetæ Ethnici lege ~~con-~~condemnemini, qui non minus, ut facinorosos, plectendos voluit eos, qui manifestè neglexissent rationem, quâ præstantissimi evaderent. Unicum è Gellio industriæ exemplum militare de Sicinio dentato vobis coronidis loco proponam. Hic fertur in hostem centum & viginti prælijs pugnasse, cicatricem averfam nullam, adversas quinque & 40. tulisse: Coronis donatum esse aureis octo: obsidionali una: muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus & octoginta: Armis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti: Phaleris donatum esse quinque & vices. Atque hunc Sicinium, Adolescentes, in hac togatâ militiâ imitari nitamini, nec robur corporis sed gloriæ cupiditate incensi diligentia industriæque nervos intendite, ut exantlato labore, Virtutis fanum ingressi ad Honoris templum ascendere possitis. Et quod gentiles olim Angerônæ Deæ simulacro notarunt, quod obligato & signato ore in aram Volupiæ collocarunt, idem nobis & vobis eventurum speramus, ut anxietates & ærumnas ferendo & dissimulando, tandem beneficio patientiæ Voluptatem aliquam percepturi simus. Mundanam hanc nolim, quæ lubrica, turbida, inquieta: Sed illam cœlestem, quæ sempiterna, jucunda, beata, quâ præsentem præsentem DEUM contuebimur, atque in suavissimâ cum ipso & universo animorum cœlestium cœtu conjunctione, vitam omnibus gaudijs affluentem agemus seculis infinitis.

Quod

*Quod faxit Opt. Max. vitæ felicioris Autor DEVS,
in CHRISTO IESV Salvatore no-
stro AMEN.*

**Ad Iuventutem,
De Hostibus Studiorum.**

EN tibi præcipuos hostes, Studiosa Iuventus,
Palladis ante Arcem, qui sua castra locant.
*Hic Ruditas; Metus: hic stupor: hic ignava Voluptas:
Hic animum fractum turba superba fugat.
Quos ubi constanti studio supera veris hostes:
Nec non septenos viceris arte gradus.
Mox triplicis reserat Turris penetralia Pallas
Et te perpetuò GLORIA pacta manet.*

M. Michaël Boschius VVinse-
mius, Prof: Arg:



D

Nobiliss-

Nobilissimis veteri profapia, ingenio, do-
ctrinâ et virtute Adolescentibus,

DN. CONRADO A SCHV-
LENBURG, STRENNI, NOBLISSI-
MI, ET MAGNANIMI DN. THEODORI-
CI EQ. March. p. m. Veteris Marchiæ
olim Capitanei &c. Filio.

ET

DN. IOACHIMO WER-
NERO AB ALVENSLEBEN, MA-
GNIFICI ET NOBILISSIMI ERUDITA SA-
pientiâ & autoritate Dn. LUDOLPHI, EQ. March:
in Erxleben, Sichtavv Calba &c. Hæreditarij,
Optimorum studiorum Patroni lau-
datissimi, Filio.

Dominis & Fautoribus suis plurimum
colendis.

Hæc *συσίλλας*, memoriæ & observantiæ contestandæ
ergo, Carmina, operarumque subsequentium
multo utiliorum ut præmissa interim

Τεμπήρια, loco Strenarum
Offert, donat, dedicat.

*M. Iosephus Gæzius Gymna-
siarcha Berlinensis.*

VOTA IN ABITVM.

M. Iosephi Gœzij, ad Rectoratum Gymnasij Berli-
nensis Stendaliâ evocati, Anno 1605.

Ab amicis scripta.

I.

S Anctior haud labor est teneræ quã cura iuvētæ,
Noverit ut Trinum simplicis esse DEVM.
Percipiatq; sacræ Pietatis semina normam,
Quam juxtâ quærit relligione coli.

Quæq; viam monstrant artes, cœlestia dona,
Quæ decori summis sæpè fuere viris,
Ingenij linguæq; bonum ratione gubernant
Et falso verum ritè secare docent.

Anyti permulta Rei qui dogmata quondam
Hausit, in his laudes dixit inesse DEI.

Quisquis amat tenebras & falsi gaudet amore,
Immersus tenebris concidat ille suis:

Veri fons DEVS est, artes, veracia dona,
Fallere quæ stygy fraus nequit ulla Ducis.

His pugnabat ovans pia Leucoris ora Draconem
Romanum contra, vicit & exilijt.

Exeat urbe vagus, toto turbetur ab orbe,
Artes qui curæ perneget esse DEO.

Has tua dum teneris solertia tractat ab annis
Commoda fert pueris plurima Musa tuis.

Socratē,
Horatius
Anyti reū
nominat
quod ab
hoc & Me-
lito sit ac-
cusatus.

D 2 Quod

Ursula ab
ursa Bär-
lin.

*Quod Brennicanit alta domus, Procerumq; juventa,
Vallis, quæ Musas vidit, amatq; tuas,
Et nisi te fatis hinc Ursula blanda tulisset,
Sensisset studij munera plura tui,
Ingenijs dic grata bonis, tua gloria crescat,
Ingenijs gratus sis, maneatq; DEO.
Hæc Rodetidichij tibi candida Musa precatur,
Et veteris formæ gaudet Amicitia.
Sincero dulcis sed pectore certus amoris
Frater abis, Frater prospice, vive, Vale.*

THEODORICUS RODETIDICHIUS
Ecclesiæ Stendaliensis, ad Divam
Mariam Archidiaconus.

II.

DE VITRO TRANSMISSO.

Quod mihi donaras vitrum, præclare Magister,
Hos versus grato pectore poscit idem.
Qui cum fraternū nostrum testentur amorem,
Præclari, quæso, muneris instar habe.
Respice non venam, sed mentem dantis amœnam,
Hinc etiam vilis versus amicus erit.
Non hausi, fateor, dulces Aganippidos undas,
Sum tamen Aonidum fautor amansque tui.
Ito bonis avibus, tibi sanctus & Angelus adsit
Et duce sub CHRISTO Vive Valeque diu.

IN

IN ABITUM.

NEper discessum videar nil velle moveri
 Mi IOSEPHE tuum, pauca referre volo.
 Nuper cum salvo Schola nostra vigeret hono-
 Per te Musarum Floribus aucta bonis; (re,
 Mox ait Aonidum cultor: Nunc ridet Apollo,
 Nunc est hora libris incubuisse sacris.
 Nunc spes est ingens, tempus nunc est breve, culmen
 Ut grave Parnassi scandere quisque queat.
 Cœpit & eximio lætari corde Iuventus,
 Sperans de studijs germina multa tuis.
 Sic est: Hic lepidis plantasti collibus hortum,
 Semina disponens ordine multa bono.
 Posset ut hinc Phœbi soboles decerpere fruges,
 Atque suâ tandem commoditate frui.
 Non igitur temerè fructum speravimus amplum,
 Cum SCHOLA res hodie sit BONA rara nimis.
 Ast jam plantatas præter spem deseris Herbas,
 Concidat ut ferme pristinus omnis honor.
 Sed tamen in Domino cum non labor irritus ullus,
 Ante velut, post te sic quoque cedit opus.
 CHRISTUS enim, pueros curans, hos Artibus ornat,
 A teneris pergant ut celebrare DEUM.
 Ergo novam modò Tu spartam quam nactus es orna,
 Sit semper cordi Turba tenella tibi.
 Sic tibi perpetuum nomenque decusque parabis,
 Restat & in summo fausta corona polo.
 Quod superest præsens ad iter tibi tot bona votis.
 Offero, quot noster candidus urget amor.
 Numine discedas dextro, fatisque fecundis,
 Eveniant rebus prospera cuncta tuis.

Vive diu, sed vive DEO, sic flumina Vitæ
Accipies: solus vita salusque DEUS.

Stephanus Cleinovius Stendaliensis,
Ecclesiæ ibidem Diaconus
Marianus.

III.

Non penes est nos, quò vesci aura quisq; velimus,
Verùm ubi cœlestis gaudet a vetq; Pater.
Disponente illo, quæ fiunt, omnia fiunt,
Sive ea grata homini, sive ea grata minus.
Decretum fati quare haud incuso malignè,
Quodq; mihi faueat, Sors inimica, parùm:
Qui toties caris & certis orbor amicis,
Quos locus aut secum, mors vel amara trahis.
Nec te sollicito, mi Compater intime, votis
Ne linguas patriam, quæ mihi cara, Scholam.
Hic cum non possis proporrò degere vitam
Mens sit & ulterius sistere nolle gradum.
Ab libeat: libet. ab liceat: non non licet: Æquum
Ergo ut eas quò te Spiritus almus agit.
Sapè tibi occinui, si ritè audita notasti,
Quando abitus facta est mentio crebra tui.
Vade age, vade mihi carissime semper Amice,
DVCTVS AB ÆTHERIO FLAMINE
(SALVVS ERIS.
Iam

*Iam satis est, sed quod superest, venerande Synerge,
Militia caeli cinctus abito benè:*

*Meq; tui memorem memori sub pectore conde,
Atq; hoc conjuncti pignus amoris habe.*

*Dicere sit mihi fas, animus quia dicere cogit,
Valdè conturbat me tuus hinc abitus.*

*Sed me quid juvat aut dolor, aut turbatio mentis?
Nemo diuinum vertere velle valet.*

*Cuiq; locum DEVS ipse dedit quo vivat honestè,
Cuiq; deditq; locum quo moriatur homo.*

*M. Iohannes Carstadius Stendaliensis,
Scholæ patriæ Conrector.*

IIII.

Sic est: mi GOEZI, pubis præclare Magister
Formandi Mores, Os, animumque rudem:
Certè, Curarum res est & plena laboris,
Commutare sub hac conditione locum.
Tristia nunc animum pungunt, nunc omina læta,
Improbat hic cœptum, laudat at ille tuum.
Audisti, multos retinendi innectere causas
(Nam quis præstantem nollet habere virum?)
Nec magis alterius constans sententia partis
Te fugit, ipsa suis splendida ponderibus.
Hic quid agas, dubium multis videatur: at ipse
Securus tandem, propositique tenax:
Non, ais, invitis hæc fit mutatio Fatis,
Quod Domino placuit, nec mihi displiceat.

Illius

Illius ut dextrâ primis sum tectus ab annis,
Sic mea Sors Illi credita, salva manet.
FELIX qui didicit soli confidere JOVÆ:
Stultus & infelix, Spes cui nudus Homo.
Est etenim fallax, brevis est & Gratia Mundi,
Gratia sed constans stat sine fine DEI.
Sed Tu, qui Fato sic disponente recedis,
Teque DEUS Spartam jussit adire novam:
I felix comitante DEO, comitante salute,
Atque Berolini sospes adito lares.
Nec tamen interea mox obliviscere nostri,
Interdum curæ sit meminisse mei.
Teque meus si MESSOVIUS salvere jubebit
A me, tum certi pignus amoris habe.
Sed quid ago? Tu discedis: Disjungimur. Ergò
Sit suprema tibi Vox mea grata: VALE.

Adrianus Ludecus Stendal.
Scholæ Collega.

Ἐπιμύθια.

In obitum laudatissimæ nobilisque virtute
Matronæ ANNÆ BARLEBIÆ, M. Iosephi Gœzij
Uxoris desideratissimæ, die 28. Maij. Anno
1607. Ætatis 28. in Christo ob-
dormientis, Berolini.

Mira fides Pietas vitam dum spondet avitam,
Mors vitæ secuit stamina longa tuæ.
Quid quæron? erro animo, vel non satis asse-
quor Astrorum
Imperium, Superi hæc quid ratione velint:
Dum

Dum parat Impietas Matronæ mortis honorem,
Vera piam Pietas fert super astra Deam.

Franciscus Hildesheim D. Elect:
Brandenb. Medicus.

MONUMENTI INSCRIPTIO.

Corporis exuvias heic condidit ANNA Marito
GOEZIA: Barlebio nobilitata satu.
Ter patrij, semel atque sui propagine sexus,
Octo per æstatum flumina, Mater erat.
Omnibus exemplis laudetur foemina Conjux:
Omnigenæ specimen GOEZIA laudis habet.

FRIDERICUS TAUBMANUS P. C.
Poëtices in Acad: VVit. Prof.

AD MAIVM.

Dodecasyllabi Melissiani.

FLORIDE Maje, soli decor virentis,
Victor ovans hiemis, gelu rigentis,
Tristiciæ domitor, cor exedentis,
Læticiæ genitor, cor erigentis:
Qui vario decoras agros honore,
Prata, frutetaque, & arboreta flore;
Lætificas oculos novo colore,
Nectareo cerebrum cibus odore,
Dulcisonos facis oscines canore,
Mortua quæque resuscitas vigore:

E

Quis

Quis Genius malus, aut atrox Megæra,
Te furiavit ad indolem Tyranni
Insolitam? sicilicis ut recurvæ
Dentibus anticipans vireta, messi
Debita postgenitæ, ante tempus ævi
Demeteres senis, & voraciore
Contereres, vaga quàm juvenca, fauce,
Eximium nimis aureumque florem,
Seminio generosiore cretum?
Adficeresque miserrimis querellis,
Uranimâque subinde tristitate,
GOEZII amabile cor, viri politi,
Innocuumque piumque cor, IEHOVÆ
Pierijsque sororibus dicatum?
Scilicet hoc medium cor absque jure,
Dissecuisti aliquo bono, marito
Dum thalamî sociam piam, pudicam,
Innocuamque, Deoque consecratam,
Viscere ab intimo inique surpuisti
Maje, rapax magè fratre Martiali.
Ergo tui tibi glorias priores
Nominis, ô male Maje perdidisti:
A viduo siquidem audies deinceps,
Dedecus & scabies soli gementis,
Assecla trux hiemis, gelu rigentis,
Læticiæ domitor, cor erigentis,
Tristiciæ genitor, cor exedentis:
Qui vario spolias agros honore,
Prata, frutetaque, & arboreta flore:
Tristificas oculos nigro colore,
Pestifero cerebrum gravas odore,

Mœstiso-

Mœstifonos facis oscines canore,
Cunctaque viva necas tuo rigore.
Sed caveas tibi Maje, Maje sæve,
Maje homicida, latroque feminarum.
Nam tibi perditio, tuisque cunctis
Fratribus instat, & est parata certò.
Ecce! alius pede proximante Majus,
Post rigidam brevis hujus ac caducæ
Vitæ hiemem, venit: ANNA quo PERANNA,
Stemmata prófata Bardelebiorum,
Floris ad instar, humo resuscitata,
Germine floridulo repentè crescet,
Comparis inque sui ambientis ulnas,
Se ingeret, inque cor, æviterno amore,
Non tibi, Maje caduce, Martioque,
Nec reliquis ibi fratribus patebit
Carnivoris locus, aut quieta sedes.
Exsul hiems erit, invehens rigorem,
Torrida Sole quoque exsulabit æstas,
Exsul erit quoque flatulentus ille,
Frater, ab arbore poma mitigata
Decutiens, acinosque vite dulces.
Ver sine fine erit ac vigebit unum,
Majus item dominabitur perennis.
Non ibi morbus & ægritudo mentis;
Non ibi Sors, neque Mors; Sed æviterna
Læticia, & bona Sanitatis aura,
Vitaque continuo vigebit ævo.
Hei mihi, quàm sibi gratulabitur tunc!
Gaudia quanta suo sinu fovebit,
GOEZIUS ille politus & disertus,

E 2

GOEZIUS

GOEZIUS ille disertus & politus !
Quam redivivus & ipse, morte victâ,
Conjugis in patulas abibit ulnas,
Corde suoque suam resumet ANNAM,
Ver celebrans sine labe sempiternum .

*M. Petrus Bambanius, Ecclesia
stes Megavilinæ & P. L.*

CONSOLATORIA.

HÆc brevis & solida est, scientiarum
Dux, SOPHIA, unica, sola, sempiterna ;
Noscere materiæ esse se biformis,
Impete se duplicique concitari.

Corde videlicet, impotente sceptro
Quod premitur, variabile, inquietum.

Et Ratione, quietiore ductu
Hæc animos regit, inquilina Mentis,
Fulgida Cæligeno, innocens, honore.

Mole gravatur at hoc originali,
Corporeum retinens adhuc saporem.
Gaudet, amat, cupit, odit, inquinatur,
Concutitur temerarium pavetque.

Hæc sibi nixa, beatior, quietem
Semper agit, nihil illa pœnitendum,
Concipit, illicitis nequit moveri.

Nullius impatiens, sed irretorto
Adspicit usque oculo quod ille summus
Ordinat Induperator, Auctor unus.

Quæ polus aut palus obtegit, solumque
Quæque salum, arbiter, omniumque Rector.

Quod

Quod DEUS imperat, acquiescit illi,
Seque parat placitis obaudientem.

Dux bonus id jubet, imperata miles
Ilicet exsequitur, morique præstat
Cedere quàm medium hostibus vel unguem.

Hæc inimica pathematum perennis
In statione nequit morari eadem
Cum vitijs generosa, castra castris
Admouet oppositis, subinde pugnat.

At violentius illud, haut lupati,
Nec patiens animal ferox capistri:
Sed pavitantis equi (heu nefas) ad instar
Cum lacerâ Dominum rapit quadrigâ.

Hæc meliùs quia disputare nosti,
Clare vir ô Iosephe, nolo multis
Ulteriùs te ego destinere verbis.

Quorsùm ais hæc tua disputatio? aut quid
Institui amphora cœpit, urnula exit?

Istud eò. Quia, si videmus, undè
Tristitiæ, dolor atque curiata,

Cura sit, à Ratione mox petamus
Subsidium gemitus, doloris atque

Tristitiæ. Nihil ergò lugeamus,
Inquis, & à lacrymis, negante Storgâ,

Scilicet omnibus abstinere coges?

Non ego, sobria Stoa nec requirit,
Nec mihi cornea fibra pectus ambit.

Sit tamen & moderatio doloris.
Num, quia non hominem exuisse totum,

Illicò prævaleamus, ocyùs rem
Deseruisse proin velimus omnem?
Transfugium Ratione mox relictâ



Num meditemur; & oscitando vitam
 Desidijs agitabimus solutam?
 Quin potius prohibere cogitemus
 Corde dolorificas procacitates.
 Vincere pugna facit, labor coronat
 Isthmuis, irrequieta, ad astra, Virtus
 Extulit indomitas honore gentes.
 Tantaque Philosopho cuique laus est,
 Quanta coercitio est Cupiditatum,
 Nobilis at Tua, continens, modesta,
 Morigera uxor erat pia & pudica,
 (Quæque secunda tibi querela cordi est,)
 Filiolumque reliquit ac puellam.
 Quæso, per intimum amantùm amorem ego exte,
 Quem per utriusque animis coalluistis,
 Dissimilem an potius tui illiusque
 Discupias habuisse te maritam,
 Ut modò jam leuius Tuâ careres?
 Nec violenta adeò direntio esset?
 Conjugium sterile aut DEUM preceris,
 Parvula dumne superfuat parenti?
 Ergò age mitte pusilla. Plura Magnus
 Iusserit Induperator Universi,
 Obsequiosus adi, cave repugnes.

Ernestus Virritius Fisc. El: Brandeb:

Tres Odarum Horatianarum Parodiæ.

Odes 26. lib. 1. Musis amicus tristitiam &c.

Curis opertus lætitiâ, & jocos,
 Tradam procellis in vada Thrâcij
 Portare Ponti quæis sub undis
 Mors cita non videatur ANNÆ.

Ah

Ah ecquis Annam non fleat unice
Deflendam? ô tu quæ funeribus novis
Tristare, pullos nocte flores,
Nocte beatæ animæ coronam,
Pimplæa tristis: quantum adimunt boni
Flammæ rogales? hanc fide lugubri,
Hanc nœniâ plorare mæstâ,
Teque tuasque decet Sorores:

*Odes 24. Quis desiderio &c.
Ad Conjugem lugentem Conjugis obitum.*

Quem desiderio constitues modum
Tam cari capitis? proijce turbidos
Planctus, Gœzi, animo; cui querulam dolor
Vocem cum lacrymâ elicit.
Ergo conjugium lethifer hic sopor
Rumpit, cui pudor, & justitiæ soror
Nunquam læsa fides, raraque castitas
Faustram prætulerant facem?
Multis ANNA quidem flebilis occubat,
Natis flebilior: deïn Viduo tibi:
Tu frustra pius, heu, funere distitam
Poscis Barlebiam DEUM!
Quod si Cecropiâ tristius alite
Auditos meditère Odrisijs sonos:
Non massæ redeat Spiritus ossæ,
Quem sceptro semel aureo,
Ignarus precibus fata revoluere,
Beato Raphael miscuerit gregi.
Mirum! sed levius fit patientiâ
Quicquid corrigere haud licet!

Odes

Odes 26. lib: 3. Vixi puellis &c.

Defuncta loquitur.


Vixi marito nuper idonea,
Et Sorte vixi non sine pessima:
Nunc membra defunctasque morbo
Exuvias humus hæc habebit,
Putres sepulti quæ cineres gregis
Custodit: heic heic ponite lintea
Funebria, & faces, & artus
Impositis onerate glebis.
O qui beatum CHRISTE tenes polum, &
Sedem carentem terrigenâ cruce,
Redemptor in sinu Abrahami
Siste animam tibi dedicatam.
O qui relictam matre tenes domum, &
Prolem carentem matre suâ, pie
Marite parcus maritam
Plange tuam procul hinc migrantem.


Aliud ad lugentem maritum.


Membra revelle suo capiti violenter: an illis
Integer amissis partibus exstet homo?
Tu caput Uxoris fueras: ea membra: Sed istis
Nonne cluebatis partibus unus homo?
Membra tuo capiti divulgavit Morta, Iosephe:
Integer his demptis dic mihi, nunquid eris?
O vix integrum qui sic mutilatur homillum!
Integret at qui te dividit ipse DEUS.


Andreas Minor Ungarus Gymn.
Berlinens: Alumnus.














ALVENSLEBEN

Ke

97





MILITIA SCHO-
LASTICA.
Cum
CIVILI SEV CA-
STRENSI COLLATA ET
IN EXAMINE STENDALIÆ
P. P.
In qua *Ke 97*
Cum primis debellandi & expugnan-
di Hostes studijs literarum infensissimos,
commodissima ratio ostenditur,
A
M. IOSEPHO GOEZIO IEGERN-
dorfensi, Gymnasij Berlinen-
sis Rectore.
Accesserunt
Carmina in Abitum ejusdem, Et Obitum
suavissimæ Uxoris ab Amicis
scripta.
Berlini, Typis Rungianis, Aõ. 1609.